



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 177. Literæ Apostolicæ pro Rochisana a Bohemiæ Proceribus petitæ

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

territus, Rochisanæ respondit, usitatum secul. XV.  
 Romanæ Curiaë morem esse, rem tanti A. C. 1448.  
 momenti, priusquam decideretur, prævio  
 examine maturius ponderare; nec ta-  
 men propterea animum desponderet;  
 quod enim hoc tempore dilatatum, alio  
 certius perficiendum. Rochisana hoc  
 responso exacerbatus, Legatum amplius  
 convenire noluit. Ille autem Bohemæ  
 indolis inscius, Rochisana incensulto  
 rem perficere aggrediebatur, non multo  
 tamen post spe sua delusum se sensit.

## §. CLXXVII.

*Apostolicæ literæ pro Rochisana a  
 Bohemiæ statibus petitæ.*

Regni Proceres ante omnia literas Apo-  
 stolicas Rochisanæ dari urgebant,  
 cum decrevissent, se nihil eorum, quæ  
 Clericos concernerent, tractaturos, nisi  
 prius eorum postulatis legatus annueret.  
 Ille in primo limine Legationis suæ hæ-  
 rere coactus, Romam nuntium misit,  
 quo reduce comperit, summum Pontifi-  
 cem Bullas, quas Bohemiæ status desi-  
 derarent, concedere paratum esse, dum-  
 modo & ipsi pacta, quæ Constantiensis  
 Episcopus pro Concilio Basileensi cum  
 illis sanxerat, hætenus ab eis violata ple-  
 ne resarcirent, præcipue vero ea serva-  
 rent, quæ circa nobiliorem portionem bo-  
 norum

Sæcul. XV. A.C. 1443.                       
 norum Ecclesiasticorum postea ab Hus-  
 sitis usurpatorum conclusa fuere. Ve-  
 rum hæc Pontificis sententia Rochisanæ  
 neutiquam arridebat.

## §. CLXXVIII.

*Simultates Legatum inter &  
Rochisanam.*

Ceterum Rochisana, cum timeret, ne Bohemi, si illum a suscepto Pragensem Archiepiscopatum obtinendi proposito destitisse cognoscerent, spe sua frustrati eum in posterum minoris haberent, ac Clerus ipsi favens inde eum circumveniendi ansam arriperet, ac obtenderet, illum denuo cum Catholicis in gratiam rediisse, ideo disertis verbis Legato declaravit, quod vicissim, si Sedes Apostolica sibi quamvis immerito hanc gratiam impertiret, fidem suam obstringeret, se deinceps in omnibus sibi a Romano Pontifice injungendis prompte obtemperaturum, simulque popularium suorum studia eo inclinaturum, ut toto vitæ suæ spatio universa Bohemia circa Religionis negotia ab omni tumultu libera conservaretur. Ast cum Legatus ab iis, quæ Roma in mandatis acceperat, nihil omnino remitteret, Rochisana omnia modestiæ repagula dirupit. Vicissim Legatus coram Bohemiæ Proceribus